



LECTURO S.



Eam Tibi AMICE LECTOR, *Tabulam*
Hermetis Trismegisti Smaragdynam: quam
 suo merito Symbolum universi Chemi-
 corum cœtûs dixeris ; ac Lydium lapi-
 dem, adulterinæ circa Lapidem Sapien-
 tum Philosophiæ proditorem. Miraberis, fat scio,
 denuò eam in publicum me obstetricante edi, toties
 clarorum ingeniorum curâ excusam ac recusam. Ego
 verò quàm suspicerem tritum illud, *manum de tabula!*
 dumodo doctiorum manus ad tabulam. Indignum,
 inecastor, ingenti illâ omnium monumentorum luce,
 ex quo tot miseris modis & urba & mens Hermetis fuê-
 re contemerata, hominem inter eruditos non reper-
 tum esse, qui uni saltem periodo nativum decus aslere-
 ret; quin, devolvi difficile id negotium ad juvenem, qui
 parum ingenio, minus judicio possit. Enimverò sex-
 centis amplius formis impressam Tabulam tuâ operâ
 monstrans, nisi vel semel abs Te recensitam repurga-
 tamve ostenderis, ilicet, nihil egisse judicabere. Noli
 igitur juvenili meâ operâ offendi: quàm præstantium
 virorum curas diu frustra præstolatus, Hermeticae Ta-
 bulæ locavi, ut Tu, qui delitiis hujusmodi caperis, ha-
 beres chemicorum opusculorum, & antiquissimum &
 pretiosissimum pristino nitore. Unde nitor sit iste, que-
 ris? E Phœnicio idiomate; quo ut olim ab Hermete

A

exa-